

† R. P. Christianus Boomaars (1863-1931).

(Prov. Holland.)



Die 1 Iunii 1931 R. P. Christianus Boomaars, Minister domus nostrae Buscoducensis, subita morte correptus est. Eum, Noviomagi in nosocomio Sororum exercitia tradentem, tertio die mane mortuum invenerunt. Quae subitanea mors Provinciae Hollandicae magnum damnum attulit.

Natus in Bavel, in oppidulo diocesis Bredanae, die 10 Dec. 1863 e pia familia, quae Instituto nostro tres filios sacerdotes dedit, Christianus die 8 Dec. 1882 vota nuncupavit et 8 Oct. 1887 sacerdotio auctus est.

Lector primum, Director postea iuvenatus Ruraemundensis, alumnos eximie docebat et simul iam tum periodico *De Volksmissionaris* (Missionarius populi) vires dabat. Mense Martio 1897 nominatus est moderator periodici *Zondagsblad van de Heilige Familie* (Folium Dominicale a S. Familia), quod tum ipsum e cura cuiusdam sacerdotis saecularis ad nostram transierat. Maxime auctore P. Boomaars hoc periodicum florere coepit, ut videre licet e subscriptorum numero, qui a 25 000 ad 42 000 crevit. Ad diem mortis usque moderatoris officia indefesso zelo obiit.

Haud multo post Wittemiensi domui adscriptus est, ut missionibus vacaret, et mox apostolus non tantum calami, sed etiam suggestus apparuit. Modo in ecclesiis nostris, ut Rosaevalli, Ruraemundae, Buscoduci ministerium sacrum exercens, modo inde in oppida et vicos vicinos evolvans, tamquam genuinus S. Alphonsi filius salvandis animabus omnes suas egregias dotes et vires impendebat. Missionum et exercitiorum spiritualium cursus ab eo traditi ad complura centena ascendunt. Nullus ei iucundior nuntius afferri poterat, quam s. missionem ab aliquo parcho

efflagitatam esse, et saepe e Superioribus sciscitabatur, num hic vel ille parochus suo tempore s. missionem rogasset.

Nihilominus etiam in missionibus, exercitiis aliisque laboribus apostolicis munus moderatoris periodici sui explere non desiit. Haec folia ei maxime curae fuisse testantur ipsius verba ad unum e scriptoribus pluries repetita: « Pro periodico S. Familiae, Pater mi, valetudinem viresque profudi. » Quantam autem utilitatem inde omnibus legentibus, imprimis operariis, attulerit, vix quisquam secum reputare potest.

Apostolatus calami scribendique studium consuetudine in alteram quasi naturam excrevit. Monitus erat a medico, ut sibi parceret et per annum a duro opere quiesceret; sed otiosum esse eum taedebat. Quare die 29 Maii 1931, ad exercitia proficiscens, elucubrationes novas iam secum habebat, ita ut vere inter scribendum mortuus sit.

Complura etiam edidit pia opuscula, christianae plebis captui accommodata: de devotione trium *Ave*, de Missae sacrificio, aurifodina occulta, de contritione perfecta, de s. communionem, pane nostro cotidiano, alia. Quibus si addideris munia gravia ei concredita — Director fuit domuum recessuum Amersfoort et Seppe, Rector per triennium Buscoduci, pluries Minister domus — eius industria et laborandi studium numquam satis efferentur. Immo diceres fere eum iuxta exemplum S. P. N. Alphonsi votum emisisse nunquam perdendi momentum temporis. Mane sumpto ientaculo cubiculum petebat, ibi manens usque ad meridiem, excepta hora 9, cum Missae sacrificio pie assistebat partemque Officii divini dicebat. Post meridiem, expletis actibus communibus, iterum studendo aut scribendo operam dabat, et cellam tantum relinquebat, ut suis officiis aut sacri ministerii exercitiis fungeretur.

Dubium esse non potest quin R. P. Chr. Boomaars nimio zelo indulserit. Iam duos annos e corde laborabat, quod malum etiam subitaneae mortis causa exstitit. Sed Dominus servum suum certe vigilantem invenit; scripserat enim P. Boomaars paucis hebdomadibus ante mortem ad P. Provincialem: « Mihi iam non restat longa vita. »

Finem facimus verba eius referentes notatu digna, quae quanti fecerit vocationem religiosam declarant. In Visitatione quadam, cum allocutio fuisset de nostra ad Congregationem vocatione, P. Boomaars postea Visitatorem adiit et gratias agens: « Mirum quantum gaudium », inquit, « mihi attulisti, dilucide doctrinam S. Alphonsi exponendo de vocatione nostra, et quam severe iudicet de iis, qui vocationis iacturam fecerint. »

Genuinus hic S. Alphonsi filius, qui tam egregia zeli apostolici, pietatis, regularis observantiae, oboedientiae submissionisque erga Superiores exempla nobis reliquit, a Domino messis iam in requiem vocatus est, quam vivus nec quaesivit nec scivit. In acie et armis cecidit hic *bonus miles Christi Iesu*, qui omnia sacrificaverat, ut omnia pro mercede reciperet. R. I. P.